

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7211

**Autre(s) référence(s) :** Round 642

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Évroult-Notre-Dame-du-Bois, Notre-Dame (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1172-1178]

**Lieu d'émission :** Sées

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation des biens, privilèges et franchises de l'abbaye de Saint-Évroul.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DXXX, t. 2, p. 98-103.

### Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 642.

## Dissertation critique

« 1172-1173 – 1178 » : sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 99. Souscription de Richard du Hommet, mort en 1179 ; Henri II a repassé de Normandie en Angleterre en juillet 1178 et restait en Angleterre jusqu'au milieu d'avril 1180. Cet acte, qui porte la formule *Dei gratia*, n'est pas antérieur à 1172-1173.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, justiciis et omnibus ministris suis, salutem et pacem.  
Sciatis me, ad petitionem et preces dilecti et fidelis mei Roberti Geroiani, domini Sancti Serenici Eschalfoii et Musterelli, et W. filii sui primogeniti et Geroii de Musterello et Rogerii Golafre et Rogerii de Mouaio et Thome de Longo Ponte et W. de Tremonz et W. de Foumucon et Gervasii de Planchis et W. Belli Vicini, militum suorum et meorum, concessisse et hac presenti carta mea confirmasse Deo et Beato Ebrulfo et abbati et monachis ejusdem loci in perpetuam, liberam et quietam elemosinam ab omnibus rebus terrenis ad me et ad predictos milites pertinentibus, exceptis placitis de spata mea, omnes libertates et quitancias et ecclesias, decimas, homines et terras, et alios quoslibet redditus et possessiones universas, prout in presencia mea pertinere recognoverunt

prefato abbati et monachis Sancti Ebrulfi, et sicut in hac presenti carta mea continentur: ecclesiam videlicet Sancti Andree de Eschalfoio cum quatuor capellis suis de Sancta Maria, de Sancto Laurencio, de Sancto Martino et de Sancto Germano, cum omnibus decimis et terris aliisque pertinentiis suis, et decimam tocius prepositure et omnium exituum et reddituum qui modo sunt vel provenire ex eadem villa poterunt, et pertinentiis suis ; decimam quoque tocius foreste ejusdem ville de omnibus pasnagiis et herbagiis de tota vendicione et venacione, haracio et herbagio, et de omnibus fructibus et eventibus qui sunt vel qui ex ea provenire poterunt, etiam si ad agriculturam fuerit redacta, et herbagium et pasnagium ad omnes porcos suos et ad omnia alia averia sua in eadem foresta ; ipsam quoque forestam ad calfagium suum et domorum et ecclesiarum suarum edificationem et manerii de Veteri Mesnil, et ad necessaria omnia, de vivo scilicet bosco et de mortuo, absque omni liberatione forestariorum et contradictione domi norum Eschalfoii et heredum eorum. Apud Sanctum Andream vavassoriam unam cum pertinentiis suis et feodum de Rocheio et de Nigra Aqua. Apud Busseriam vavassoriam unam cum pertinentiis suis et vavassoriam de Doit Moussu, liberam et quietam ab omnibus rebus terrenis cum pertinentiis suis, et totam decimam molendini de Alneio et viginti solidos, et molendini de Logis. Apud Belmesnil et alibi in parrochia Sancti Andree, quinque hospites de dono Gervasii de Planchis. Apud Belfai duas partes quarumdam decimarum et hospitem unum, ecclesiam Sancti Petri de Nidis cum decimis et terris aliisque pertinentiis suis. Apud Sanctum Serenicum, ecclesiam cum omnibus pertinentiis suis habendam et tenendam in usus proprios, et decimam totam annone et vinearum, lini, canabi et leguminum et omnium molendinorum que modo sunt vel esse poterunt in eadem villa et pertinentiis suis, et omnium reddituum et transituum et obventionum et agmentorum que modo sunt vel esse poterunt in eadem villa et pertinentiis suis, ita quod decimam de furnis, de foro et theloneo et aliis supradictis rebus omnibus habebunt monachi in eadem villa manentes, unaquaque ebdomada in die Dominico, et piscationem in Sarta quantum durat terra monachorum, et totam decimam piscationum tocius aque Sancti Serenici, et manerium unum in eadem villa juxta ecclesiam, cum vineis et terris et pratis aliisque pertinentiis suis. Apud Radon, de concessione et assensu Willelmi comitis Pontivi, ecclesiam et terras et decimas et homines plures in eadem villa. Ecclesiam de Alta Rippa cum decimis et manerio juxta eam et terris et pratis aliisque pertinentiis suis, et quatuor acras terre et duas prati de donis Beroldi de Mesnil. Ecclesiam de Baquenceio cum decimis et terris aliisque pertinentiis suis, et decimam molendinorum et totum dominatum ejusdem ville et Sancti Nicholai cum ecclesia et omnibus decimis et aliis pertinentiis suis. Apud Sanctum Martinum le Hugon, ecclesiam cum decimis et terris aliisque pertinentiis suis, et decimam molendini ejusdem ville, et manerium quod Tilleia dicitur cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam de Sappo Andree cum decimis et terris aliisque pertinentiis suis, et decimam molendini ejusdem ville. In parrochia Sancti Germani de Alneio, duas partes decime tocius feodi Hugonis Croc et Roberti de Mesnil Renart. Ecclesiam de Ternant cum decimis et terris aliisque pertinentiis suis, et medietatem molendini ejusdem ville, et in molendino folerez quinque solidos Andegavensium. Ecclesiam de Moenaio cum decimis et terris aliisque pertinentiis suis. Ecclesiam de Essartis cum decimis et terris et aliis pertinentiis suis. Ecclesias Sancti Pauli et Sancte Marie de Vernuciis cum manerio et decimis et terris et aliis pertinentiis suis, et totum molendinum ejusdem ville cum omnibus pertinentiis suis. Capellam de Bosco Herberti cum decimis et terris et aliis pertinentiis suis. Ecclesiam de Augeron cum decimis et terris et aliis pertinentiis suis. Ecclesiam de Mosterol cum omnibus decimis bladorum et leguminum et prepositure et vivariorum et furnorum, nisi in propria manu eos tenere voluerint monachi, et terras et homines plures in eadem villa, et decimam omnium reddituum qui modo sunt in eadem villa et pertinentiis suis, vel qui esse poterunt in omnibus exitibus et redditibus et agmentis ejusdem ville. Ecclesiam Sancti Laurencii de Chesneudit cum decimis et terris et aliis pertinentiis suis. Ecclesiam de Golafreria cum decimis et terris et aliis pertinentiis suis. Ecclesiam Sancti Leodegarii de Reuvilla cum decimis et terris et aliis pertinentiis suis ; consuetudines quoque ab abbate et monachis Sancti Ebrulfi et dominis Mosterelli et Pagani de Mosterol approbatas et ab utrisque partibus per juramentum in perpetuum confirmatas, quas Sanctus Ebrulfus debet habere in villa de Mosterol et pertinentiis suis, huic presenti carte nostre duximus apponendas, totas videlicet supradictas decimas, exceptis duobus molendinis bladariis, de quibus ecclesia ejusdem ville habet decimam, et Sanctus Ebrulfus habet decimam anguillarum vivariorum et gurgutuum (?) et de molendino folerez et taneret, et de furnis, si pro defectu monachorum venerint in manu dominorum Mosterolli ; et si homines monachorum aliquando forte injuriam fecerint dominis ejusdem ville vel hominibus suis, rationabiliter emendabitur in una platea quam ad hoc habent monachi in eadem villa. Similiter erit de dominis et hominibus suis. Famuli vero dominorum nullam submonitionem vel justiciam facere poterunt super homines monachorum. Si vero homines monachorum de toto honore Mosterolli et de eadem villa aliquid in villa vel extra vendiderint in tota ballia ejusdem ville in tota ebdomada, costuma erit monachorum. Similiter et de extraneis qui in terra monachorum aliquid emerint vel vendiderint excepta quarta feria a vespera usque in crastinum ad occasum solis, propter mercatum Mosterelli ;

mercatores vero de terra monachorum et bordarii in predicto termino solvent costumam in eodem mercato de omnibus que ibi emerint vel vendiderint, nisi ad victum vel vestitum suum pertineant, et in omnibus aliis diebus tam ipsi quam vavassores vel menbrum vavassorie tenentes in Mosterello et in tota ballia ejus nullam costumam solvent nisi monachis. Homines vero dominorum Mosterelli et extranei qui aliquid emerint vel vendiderint in tota terra monachorum extra prefixum terminum costumam inde solvent monachis vel ballivis suis. Alii vero homines monachorum de Tanesia et de Mesnil Bernat qui sunt de feodo de Grentemesnil ibunt ad molendinum monachorum, si idem monachi voluerint, et se aquitabunt in mercato Mosterolli sicut extranei homines, quia non sunt de distrinctione ejus nec aliquo sunt ei obnoxii. Platea vero in qua emendationes utriusque partis debent fieri dicitur masura Radulfi de Sagio, et de assensu et de concessione supradictorum militum licebit prefatis abbati et monachis de omnibus rebus suis que in hac presenti carta continentur operari et tractare, et ea pro posse suo et voluntate multiplicare et crescere, sicut sibi et domui sue melius et utilius viderint expedire, absque omni contradictione vel reclamacione predictorum militum vel heredum suorum, in quocunque tempore ipsis monachis facultas se ingesserit. Preterea sciatis quod dilectus et fidelis meus Robertus de O, miles, recognovit in presentia mea Roberto abbati et monachis Sancti Ebrulfi jus patronatus ecclesie Sancti Martini de O, cum omnibus decimis et pertinenciis suis, et quod in eadem villa et apud Morterieiam tenebat quasdam terras de abbate et monachis, de quibus debebat eis unam procuracionem annuam sufficientem et honestam et relevamentum secundum consuetudinem patrie, et quod Gaufridus frater ejus, clericus, presentatus fuerat ab abbate Sancti Ebrulfi ad predictam ecclesiam, et a Frogerio Sagiensi episcopo receptus et canonicè institutus. Willelmus quoque de Feugeriis, miles, et uxor ejus, recognoverunt et reddiderunt eisdem abbati et monachis jus patronatus ecclesie de Radon cum omnibus pertinenciis suis, et inde habuerunt centum solidos Andegavensium de prefato abbate in presenciam mea. Et quia molendina eorumdem abbatis et monachorum multociens pro penuria aque cessant et molere non possunt, eis concessi auctoritate regia ut aquam in suis vivariis integre teneant et conservent quociens sibi viderint expedire ad opus molendinorum suorum et abbacie sue ; et eis licenciam donavi vendendi omnia nemora sua que modo habent et habituri sunt in Normannia et in Anglia, quociens voluerint et necessitatem habebunt, absque omni contradictione mei vel heredum meorum. Et sciatis me concessisse et hac presenti carta mea confirmasse sepedictis abbati et monachis omnes libertates et quitancias, ecclesias, decimas, homines, terras et redditus alios quos Robertus comes Leicestrie, W. comes Pontivi et Robertus comes, nepos ejus, et Willelmus de Sancto Serenico et Petrus de Gaceio et Ricardus Fresnel et Gualquelinus de Ferrariis et Willelmus de Merula et Ricardus de Altifago et Johannes filius ejus, Willelmus de Rumara dominus Novi Mercati et Symon comes Ebroicensis et Almaricus filius ejus, et Galeranus comes Mellenti eis fecerunt et donaverunt et cartis suis confirmaverunt, quas vidi et audivi, ita videlicet quod de omnibus elemosinis, quas tam de donis antecessorum meorum habent quam de suis, nullum, preter Deum, servicium facere teneantur. Et volo atque precipio ut omnis victus et vestitus eorumdem abbatis et monachorum et famulorum eorumdem, qui de proprio pane eorum vivunt, liber sit et quietus ab omni passagio et theloneo et costuma per totam terram meam, in Anglia videlicet, in Normannia et in comitatu Andegavensi et Cenomannensi, et maxime in portibus maris. Et prohibeo ne quis eos inde audeat perturbare de sicut (sic) poterit affidari esse proprium eorumdem monachorum videlicet et famulorum super decem lib[ras] Andegavensium forisfacture. Quare volo et firmiter precipio ut supradicti abbas et monachi hec supradicta omnia que hac presenti carta mea continentur ita pacifice et quiete possideant, sicut unquam aliquis homo aliquid de me vel antecessoribus meis melius et honorificencius tenuit et possedit.

Teste meipso, Ernulfo Lexoviensi, Frogero Sagiensi episcopis, et Ricardo de Humez tunc temporis senescallo meo Normannie.

Apud Sagium.